



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCXXXII. ad annum CCCCLI.

**Parisiis, 1644**

Epistola CIII. Leonis Papae I. Ad Qvosdam Aegypti Episcopos. Aegyptios episcopos laudat, quod nulla seditione, nullo ambitu Alexandrinum elegerint episcopum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14584**

numque certamina. Quod vsque ad catholicos præfules in Alexandrina ecclesia discipuli veritatis didicerunt atque docuerunt, eadem a cunctis fidelibus confessione promatur: quia varietatem veritas (quæ est simplex atque vna) non recipit. Si quos autem cuiuslibet ordinis Christianos impia hæreticorum conturbauere mendacia, ad satisfactionis remedia prouocate, & in spiritu mansuetudinis cum benignitate corripite: quia, sicut ait B. apostolus Petrus, *non tardat Dominus promissum, sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad penitentiam conuerti.* Agendum ergo est, ne difficultas veniæ curationem faciat tardiozem. Data decimoquinto Kalendas Septembris, Magno & Apollonio consulibus.

## EPISTOLA CIII.

## LEONIS PAPÆ I.

## AD QVOSDAM ÆGYPTI EPISCOPOS.

Ægyptios episcopos laudat, quod nulla seditione, nullo ambitu Alexandrinum elegerint episcopum.

*Leo episcopus Theophilo, Ioanni, Athanasio, Abrahamæ, Danieli, Ioabæ, Paphnutio, Musæo, Panuluo, & Petro episcopis Ægyptiis.*

**L**ITERIS fraternitatis vestræ, quas ad me filii nostri Daniel presbyter & Timotheus diaconus detulerint, cognouisse me gaudeo, quod gloriosi & venerandi principis fides, propheticis & euangelicis vnita doctrinis, ad sanctos & Deo placitos dispositionum suarum deuenit effectus, vt cruentissimo Alexandrinæ ecclesiæ peruasore deiecto, & in longinquiora translato, dignum sua gubernatione rectorem totius ciuitatis mereretur electio: ad cuius vos consecrationem nullus ambitus traheret, nulla seditio impelleret, nulla iniquitas incitaret: sed in medio constituta meritorum sanctitate, eum cunctis non dubitaret præponere, quem sibi vniuersitas cuperet præfidere. Vnde reddita populis Christianis Dei pace gaudentes, commendamus vobis inuicem vestri operis dignitatem: vt religiose per omnia ordinatus antistes, fraterno se viuere experiatur assensu, & ad abolenda scandala,



quæ error hæreticus excitauerat, cooperatione vestra gaudeat adiuuari. Excluse enim qui imitator diaboli fuit, & in veritate non stetit, male vtens specie persuasi honoris & nominis, congruit vt Alexandrina ecclesia eum veneretur & diligat, quem & probitate morum, & integritate catholicæ fidei, dignum tanto sacerdotio comprobauit: cui mutua caritatis plenum animi nostri præbeamus affectum, cohortantes, fratres carissimi, & fiducialiter exigentes, vt in prædicatione verbi, in eruditione præcepti illam formam custodiat caritatis, sine qua nullæ possunt prodesse virtutes. Quod autem fratri & coepiscopo nostro Timotheo de reuocandis his, qui a veritatis itinere deuiantes, inconsultius se ferociusque gesserunt, scriptum esse cognoscitis, dilectio quoque vestra ad curam suam intelligat pertinere: vt quia late sese pestilens illa ægritudo diffudit, vbique omnibus eadem adhibeatur medicina vulneribus, vt per diligentiam pastorem in cunctis ecclesiis Domini ouile reparetur, & per sollicitudinem caritatis atque doctrinæ, omnes Christi oues vnum sentiant habere pastorem. Data xv. Kalendas Septembris, Magno & Apollonio consulibus.

## EPISTOLA CIV.

## LEONIS PAPÆ I.

AD VNIVERSOS EPISCOPOS PER SICILIAM  
CONSTITVTOS.

Vniuersis episcopis per Siciliam constitutis scribit, & constitutione perpetua ab episcoporum vsurpatione rescandum decernit, quod in duabus Sicilia ecclesiis improbe gestum, iniusteque per episcopos ibidem præsumptum est, in ecclesiarum suarum bonis illicite alienandis. Quare & Decretum hic perpetuum interponit, de rebus ecclesiæ non alienandis, pœnasque aduersus contrauentores decernit.

*Leo papa vniuersis episcopis per Siciliam constitutis in Domino salutem.*

**O**CCASIO \* specialium querelarum curam nobis pro-  
uidentiæ generalis indicit, vt quod in duabus pro-  
-al. spiri-  
-tualium